



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

Ortega, Cristóbal de

Lugduni, 1664

Qvæst. I. An verbum ex omnium diuinorum cognitione per se quarto modo
procedat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

est impossibilis natura sua in Persona procedente : ergo implicat potentiam notionalem actiuam esse in Persona procedente. Maior est aperta. Etenim implicat idemmet esse potentiam, & simul impedimentum suæ actionis.

omnibus quæstio procedit. Sed an ex alicuius obiecti cognitione debeat Verbum procedere à nonnullis Thomistis dubitatur. Quare ea de re statuendum in primis erit.

CERTAMEN I.

Ex alicuius obiecti cognitione Verbum procedere contra Thomistas euincitur.



DISPUTATIO V.

DE OBIECTIS ET terminis diuinarum Processionum.



LETERVm intellectiois & amoris, quibus diuinas processionem contineri diximus, principium obiectum est : cum iuxta Aristotelis Philosophicum axioma ex obiecto, & potentia, quam hæcenus examinamus, pariatur notitia : quod ipsum, & de amoris principis eque certum est. Supponimus autem Verbi diuini rationem non essentialiam, sed personalem esse. Cuius firmiter fundamenta ex Patribus, & ratione dedimus cursim d. 2. & 3. dum de Filij à Patre processionem per intellectum statuabamus : de eaque re iterum redibit sermo d. de propriis personarum quæst. 2. Solum ergo examinandum hic restat quorum obiectorum cognitione, ex his, quæ diuina scientia representantur, Verbum, quod personaliter tale est, procedat. Ea verò duplici differentia sunt : quædam Deo ipsi intrinseca, nimirum, quæcumque, siue absoluta, & essentialia, siue personalia, & relatiua naturæ identificantur diuinæ : quædam verò Deo extrinseca, nempe creaturæ omnes, siue possibiles, siue existentes, siue positivæ, siue negativæ : quæ etiam spectant impossibilia omnia, vt chimæ, &c. Pro horum igitur obiectorum differentia duplici duplicem instituemus quæstionem. Est autem aduertendum difficultatem esse quænam ad cognitionem diuinam quatenus hoc Verbum in ratione huius Verbi produciatur, requirantur? Vt eis, per possibile, vel impossibile sublati, Verbum hoc ab huius Verbi ratione deficeret. Dixi ab huius Verbi ratione : quia non de realitate huius Verbi, sed de formalitate solum illius in ratione obiectivæ huius, & exemplaris representationis quæstio instituitur. Etenim realitatem huius Verbi defecturam esse, si aliquid ex intrinsecis Deo non cognosceretur cognitione diuina, quæ Verbum procedit, certissimum est : quia deficeret cognitio diuina, quæ nunc est, ac proinde Deitas, tota que Trinitas, quæ nunc est ipsi identificata. Hoc autem ipsum aliis Verbis inquiratur ab Authoribus, nempe : Quænam obiecta quarto modo dicendi per se requirantur ad huius Verbi, quæ tale formaliter est, productionem, seu processionem? Eo enim modo requiruntur, teste Arist. 1. Poster. c. 4. causæ, principia, & quidquid per se essentialiter ad aliud requiritur. Adnectimus verò quæstionem de termino processionum, quia præ sui facilitate quæstioni, ne dum toti disputationi, vix erit satis.



QUÆSTIO I.

An Verbum ex omnium diuinarum cognitione per se quarto modo procedat?

N diuinis numeramus naturam, attributa ipsam metaphysicè consequentia, ac personalitates, quibus tres Personæ constituuntur, de quibus

1. Apreolus in 1. d. 27. q. 2. art. 1. concl. 1. & art. 3. inie. Ferrara 1. contra Gent. cap. 53. §. Ad evidentiam, & lib. 4. c. 13. post solutionem dubij 1. occurrentis, Canar. 1. p. quæst. 27. art. 1. d. 3. circa fin. & d. 5. p. 1. Banuez q. 34. art. 3. fin. asserunt diuinam cognitionem prius terminari ad Verbum produgendum, deinde ad illud cognoscendum : atque in eo posterius sui productione cognitio reliqua, siue Deo intrinseca, siue extrinseca, posterius adhuc cognosci : neque aliter, quam in Verbo iam producto obiectum vllum, siue creatum, siue increatum cognitione representari posse defendunt. Vnde inquitur : Fieri profus nequit, vt Verbum alicuius obiecti cognitionem ad sui productionem supponat : ac proinde, vt è cuiusquam cognitione procedat. Assumptum tamen in Verbo creato fuscè improbarunt Fonseca tomo 3. metaph. lib. 7. cap. 8. quæst. 3. & 5. ad argumenta Conimbr. 3. de anima c. 8. q. 3. art. 2. cum quibus & nos ibi controu. de speciebus, & actibus intellectus. Quoad Verbum increatum impugnant Durand. in 1. d. 27. q. 2. num. 19. Aureol. d. 9. part. 1. art. 1. proposit. 3. & d. 27. p. 2. art. 2. à principio, Molina 1. part. q. 27. artic. 1. d. 3. m. 3. Valent. q. 7. de Trinitate art. 3. circa fin. Ruiz d. 59. sect. 2. & subobicure Caietan. citata quæst. 27. art. 1. quibus, & nos subscribimus.

2. Dicendum igitur est prius terminari diuinam cognitionem ad aliquod saltem obiectum, postmodum assignandum, quam ad Verbi productionem : ac proinde Verbum non posse non ex alicuius obiecti cognitione procedere. Conclusionis huius communis probatio ex vniuersalioribus principiis petenda primum est : Quippe nullum Verbum, etiam creatum, est obiectum primarium, in quo præcognito reliqua cognoscantur. Etenim, si Verbum creatum à cognitione non differat (vt probabilior opinio fert) nihil directa cognitione cognoscetur, sed reflexa : hoc autem, & est contra experientiam manifestam, & insuper impossibile. Inferret enim inde dari cognitionem ante vllam omnino cognitionem : quandoquidem antequam supra cognitionem, quæ in hac opinione Verbum est, mens reflecteret, cognitio, seu Verbum obiecti cognoscendæ supponi deberet, vt in eo, seu, quod idem est, in illa cognita cognosceretur : quare, & cognitio obiecti ante eius cognitionem vllam, quæ solum reflexa esse posset, supponeretur. Deinde quia reflexio cognitionis supra seipsam est prorsus implicatoria, præter quam in summe cognoscitio Deo : vt controu. de scientia docebamus. Si autem Verbum terminum esse, & diuersum, & productum à cognitione asseratur, tunc Verbum aequè, inò magis cognosci deberet, quam reliqua obiecta : cum hæc in illo tanquam in obiecto primario præcognito cognoscantur. Patet in cognitione Cælaris in sua imagine, quæ magis, quam ille cognoscitur : atqui experientia sua det non magis, sed minus cognosci Verbum, quam obiecta, quæ in illo cognosci ab his Doctoribus dicuntur, alioqui ad id probandum tot rationum expensis Thomistæ non egerent : ergo obiecta non cognoscuntur in Verbo, tanquam in obiecto primario. Probatur secundò assumptum : quia in Thomistarum opinione omnis intuitio, visioque externorum obiectorum aboletur : quia nullum est, quod cognosci in se possit, cum omnia in idolo illo, seu imagine, quæ Verbum est, necessariò cognoscantur. Quocirca, licet in eorum cognitione, quæ per species alienas sit, aliquam veritatis speciem habere hæc



hæc opinio posset; in visione autem, atque intuitione omni profus probabilitate destituitur. Sed neque in abstractiuis cognitionibus locum habere, satis multis cuicumque controu. de anima, ubi de alienarum specierum vsu statuebamus. Iam verò, si creta cognitio, non in verbo creato prius producto, & deinde cognito, sed in se ipsa obiecta attingit sua, faciles in nostram conclusionem Thomistæ citati venient.

3 Sed de Verbo increato probatur specialiter conclusio. Quia, vel formalitas, per quam Verbum diuinum procedit, est formaliter absolute intellectio? vel solum formalitas actionis? Si primum: ergo cum via, & actio prior sit ratione, omnium sententia, ac fortè realiter processio tam actiua quam passiuâ termino suo, siue Persona procedente, qua intellectio, prior erit Verbo procedente: ergo pro priori illo terminabitur ad aliquod obiectum, quodcumque illud sit: cum intelligi in se nequeat intellectio, quin ad obiectum aliquod terminetur: ergo ex alicuius obiecti cognitione Verbum procedit. Nec refert (quod pro Aduersariis cogitabam) cognitionem entis rationis effectricem ipsum actiue præcedere, quin pro illo priori ad entis rationis existentiam ad ipsum, vel ad obiectum aliud debeat terminari. Sed contra: quia ens rationis suo illo modo, quo per cognitionem est, obiectiue à se ipso pendet, licet non pendeat actiue: imò & eius cognitio, qua sit, ab ipso pendet: quare, & ipsam obiectiue præcedit. Id quod, si in Verbo respectu cognitionis, qua procedit, Aduersarij admittant, habetur contra ipsos intentum: nempe: Verbum per se quarto modo ex alicuius obiecti cognitione procedere. Secundò ens rationis reali influxu non producit; Verbum autem procedit reali influxu per diuinam cognitionem: quare nequit solum admodum entis rationis comparari ad intellectiōem, qua procedit. Imò neque admitti potest mutua causalitas in genere obiectiue, & effectiue inter Verbum, & cognitionem, qua procedit: hæc enim realis proculdubio esset, quam impossibile in physicis ostendebamus. Tertio: ens rationis vnicum, & necessarium obiectum est cognitionis qua sit: quare nihil mirum, si simul sit obiectum, & terminus suæ actionis, seu causalitatis, qua suo modo existit; at Verbum diuinum non est obiectum vnicum, & necessarium cognitionis, qua procedit: cum sint essentia, & communia, quæ ex parte actus primi, cum intellectu ad cognitionem, ac Verbum ea producendum supponi queant.

4 Dices ex Ferrara 1. contra Gentes cap. 53. circa med. essentia, & communia, licet in esse reali independentes à verbo sint, secus in esse intelligibili: quare, ut obiecta intellecta ad Verbum, quod, qua talia, supponunt, supponi minime posse. Contra: quia, vel loquitur de esse intelligibili intrinseco essentia, vel de extrinseco desumpto à possibilitate cognitionis? Si de primo non distinguitur ab intrinseca obiecti entitate, & formalitate: quare si intrinseco, & essentialiter independentia sunt essentia, & communia à Verbo, in esse etiam intelligibili independentia erunt, quin à Verbo extrinsecus possint illud habere: alioqui intrinseca intelligibilitas non foret intrinseca, ut supponimus, sed extrinseca. Si de extrinseca loquatur: cum Verbum nullatenus cognitio sit, adhuc possibilis, essentia, & communia nullatenus ab eo habere possunt extrinsecam intelligibilitatem. Contra secundò: quia per hoc, quæ se ipsis, vel speciebus propriis intimè sunt præsentia potentia, in se sunt cognoscibilia, non in verbo præcognito: ac proinde neque ab eo esse intelligibile habent, ut de sensuum obiectis, ac Thomistæ docent: imò inde speciem ad Deum visionem impassibilem aiunt, quia se ipso actus purus in linea intelligibilis Deus est: atqui essentia, & communia intimè præsentia sunt intellectui diuino: imò magis quam verbum, quod ipsi non identificatur identitate adequata, sicut communia: ergo in se, non ratione Verbi sunt intelligibilia. Contra tertio: quia communia omnia independentia sunt à verbo, præhabitaque à Patre priori originis: ergo, & intellectio ef-

ferentialis, quæ communis est independentes à verbo profus erit: non esset autem, si obiectum necessarium ad ipsam in ratione intelligibilis Verbum supponeret. Contra denique quarto: quia, si intellectio, vel esse intelligibile communium à verbo penderet, acciperet Pater aliquo modo à Filio intellectiōem quod nullatenus admittendum esse ait S. Thom. in 1. d. 27. q. 2. art. 2. ad 4. his verbis: *Nullo modo est concedendum, quod Pater intelligat à Filio, vel intelligat in Filio sicut in obiecto, vel specie, quæ cognoscitur: quia hoc poneret Filium habere aliquam rationem principij ad Patrem.*

5 Iam verò, si dicas cum Canariensi supra §. Quibus, supponi ad Verbum intellectiōem, non qua intellectio formaliter, sed qua dictio Patris est, nihil firmiter dices. Quia id erit non procedere Verbum per intellectiōem formaliter, sed per rem, quæ est intellectio: id quod, & Spiritus sanctus habet: cum tamen concors Theologorum sententia sit, Verbum per intellectiōem, Spiritum sanctum per amorem procedere, non è contra: quæ nisi formaliter capiuntur, vera minime sunt. Contra secundò: quia, vel illa actio est ab intellectu formaliter: & sic erit intellectio, ut contra Scotum, & Recentiores arguebamus d. 3. quæst. 4. cert. 1. vel non est formaliter ab intellectu: & sic, nec Verbum per intellectum procedit. Contra tertio: quia dictio interna formaliter est intellectio, ut ibidem ex Patribus, & S. Thom. 1. p. questione 27. art. 1. corp. ostendebamus. Denique opinio hæc sinistris tantum testimoniorum S. Thomæ interpretationibus nititur. Quod enim dicat Verbum esse formam exemplarem, & in quo omnia Pater Deus intuetur, non probat tanquam in obiecto præcognito, sed tanquam in exemplari, & imagine, ut expressè docet proximè recitatus: Docuitque August. 15. de Trinit. c. 4. Quod autem questione 4. de verit. art. 1. corp. dicat Verbum esse id, quod actu consideratur per intellectum: & 1. contra Gent. cap. 53. post med. ac lib. 4. cap. 11. post med. & questione 9. de potent. art. 5. Verbum esse intentionè intellectam, phrasis est Aristotelis 3. de anima cap. 4. 6. & 8. textu 1536. & 38. atque eiusdem Sancti Thom. 1. p. quæst. 80. art. 2. & sequentibus, afferentium intellectum intelligendo fieri, ac dici esse ipsa obiecta, quæ intelligit: id quod Verbo tanquam imagini obiectorum accommodatur à S. Thom. Imò, & vulgò imago Cæsaris, vel Crucifixi, Cæsaris, & Crucifixus dicitur. Rogantibusque, quid scribamus, vel loquamur, respondemus nos Petrum v. g. vel scribere, vel loqui: cum non, nisi eius characteres, scribamus, & loquamur.

CERTAMEN II.

Aliorum opiniones ad hominem confutantur.

1 HIs positis Bannez, Zumel, Nazarius, & Thomistæ communiter 1. p. questione 34. art. 3. ubi & Molina §. Contraria sententia, Suar. lib. 9. cap. 4. num. 4. c. 5. num. 8. & lib. 11. cap. 2. Valent. d. 2. quæst. 7. puncto 2. & quæst. 8. puncto 1. Arrabal. d. 134. num. 6. Granad. tract. 9. d. 5. Ruiz d. 61. sect. 2. Becanus cap. 5. de Trinit. questione 5. Zunniga d. 9. dub. 3. Albiz. d. 8. sect. 2. & 3. Martin Perez. d. 14. sect. 5. Marat. d. 50. & Complutenses Recentiores afferunt Verbum diuinum, qua tale, procedere per se quarto modo ex omnium diuinorum cognitione. Ceterum in Thomistis, & Granado consequentiam desidero. Afferunt essentiam solam esse specificatiuum adequatum visionis beatæ, & diuinæ: ergo sublati personalitatibus, & attributis nihil perfectionis formalis intrinseca deficeret cognitioni diuinæ in ratione cognitionis, & representationis formalis: ergo, nec Verbo, quod per illam procedit deficeret aliquid in ratione representationis obiectiue: ergo maneret Verbum, quod modo est, in ratione huius Verbi eis omnibus per impossibile sublati. Confirmatur: quia vel deficeret aliquid cognitionis, & representationis cognitioni diuinæ sublati

sublati ex parte obiecti aliis ab essentia: vel nihil deficeret? Si nihil habetur intentum; si aliquid; ergo essentia non est adequatum obiectum formale, & specificatum cognitionis diuinæ contra vestra principia.

2. Noster Vazq. i. p. d. 142. c. 3. & 4. docet Verbum procedere per se quarto modo ex cognitione essentia, & reliquorum, præter Spiritum S. qua tale Verbum formaliter est; quatenus autem spirator est è Spiritus etiam cognitione procedere. Sequuntur Luisius Torres d. 18. dub. 2. Alarcon, d. 8. c. 7. & 8. Istud de spiratore non placet. Quia Verbum, qua spirator, Verbum non est, neque spiratio obiectiua, sed filius, & foecundus, ac proinde non formaliter, sed materialiter solum est obiectum cognitione procedit: vt ex dictis de Filij præ Spiritu sancto generatione satis claret. Sed neque primum in Vazquez principis potest sustineri. Ipse enim d. 60. c. 3. docet essentiam solum esse obiectum specificatum primum, & adequatum diuinæ cognitionis: ergo nec Pater, nec Verbum, nec attributa sunt obiecta per se requisita ad illam perfectionem cognitionis diuinæ in suo genere, quare neque ad Verbi productionem. Secundo non nimis consecretariè docet obiectum visionis intuitiua ex prædicato intuitiua esse rem totam, nec solum formalitatem vnam ipsius sine aliis: quare obiectum per se quarto modo visionis beata, qua intuitiua esse debet, non esse essentiam solum, sed attributa, & personalitates ipsi identificatas: ergo cum Verbum per se, & essentialiter visione intuitiua & beata, diuina, perfectissima procedat, habebit pro obiecto per se quarto modo attributa, & personalitates, quæ re ipsa essentia identificantur: atqui Spiritus Sanctus eadem res cum essentia est, non minus, quam Pater, & Filius: ergo erit obiectum per se quarto modo cognitionis, qua Verbum, qua tale, procedit, æquè atque Pater, & Filius. Contra tertio. Idem per se non procedit Verbum cognitione Spiritus sancti: quia Spiritus sanctus pro priori originis ad Filium non est: sed neque Filius est pro priori originis ad se ipsum, vt pater: ergo, neque procedit è sui ipsius cognitione. Vigetur: quia neque Pater est pro priori originis efficientis, & generantis vt generantis obiectiua, sed actiua, & generatiua: quo super magnam passi sunt Recentiores Complutenses æquiuocationem. Pater, nam pro priori originis, & actiua, solum est potentia generatiua seu Pater generans: nihil aliud; licet in linea influxus, seu quasi influxus obiectiui plura esse possint, quæ pro illo signo actiuitatis, & influxus vitalis non sunt: imò, quæ in hoc ordine posteriora sunt: maxime in Vazq. & Alarcon doctrina, qui mutuum causalitatem realem in diuerso genere admittunt: quare, licet pro signo vitalis influxus, & actiuitatis Spiritus S. Filium non præcedat, sed sequatur: poterit tamen illum in linea obiectiui influxus præcedere.

3. Quæstam his satis solutio Alarcon c. 2. scilicet, vnamquamque personalitatem suo ordine, & signo cognosci: quare cum essentia terminabilis sit primò personalitate Patris, & pro posteriori signo personalitate Filij, & pro vteriori personalitate Spiritus S. non posse cognosci personalitate Spiritus S. pro primo signo, pro quo non est magis, quam pro eo signo possit esse. Bene: ergo neque Spiritus S. ad processionem Filij, vt spirator est, pro eo signo cognitus præcedet: nam ea consideratio, & ratio nequit Spiritu S. ad primum signum, seu prius Patris retrahere: vt oportebat ad hoc, vt illius cognitione per se quarto modo Filius in tua doctrina procederet. Insuper: cū Filij personalitas non sit pro illo priori sui originis, nõ cognoscitur pro illo: quare neque è sui notitia, & cognitione Filij procedet. Sed enim cum obiectiua processio in alia linea sit, poterunt personalitates posteriores actiua præcedere, vt obiecta cognita in signis, quibus sunt, suis. Imò argumento desumpto ex præcedentia obiectiua Filij euidenter ad hominè id cōtra Alarcon demonstratur. Tertio cognitio intuitiua, & comprehensua cause, & formalitatis essentialiter transcendentaliter relata ad effectum, seu terminum productum pendet per se quarto modo ex effectus, & termini cognitione per se: ergo cognitio comprehensua, & intuitiua

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Pno & Trino.

Patris, qua, per se etiam, Verbum procedit, pendebit quarto modo per se ex cognitione termini, quem Pater essentialiter transcendentaliter respicit: sed potentia generatiua, & spiratiua, imò per se innascibilitas etiam quam imbibit Pater, refertur essentialiter transcendentaliter ad Filium, & Spiritum S. ergo ex eorum cognitione pendebit per se quarto modo Filij processio.

4. Congruentius de hac alij asserunt Verbum procedere cognitione essentia communium, & personalitatis Patris vt existentium, Filij autem, & Spiritus S. vt possibilem præcisivè solum. Tribuitur Caetano sup. licet falsè. Atque, si vera esset proximè impugnata doctrina Vazquianorum (nempe non posse procedere cognita, & vt obiecta, quæ non sunt in priori originis Patris ad Verbum, vel quæ sunt illo posteriora) non erat discursus omnino contemnendus. Siquidem Personæ procedentes secundum rationem non repugnantia in se non sunt Patre posteriores, à quo, secundum statum possibilitatis præcisè, actu formaliter non procedunt. Imò, in opinione fati iam vulgata de complemento potentia proxima expedita per effectus possibilitatem, ad illud prius spectant, quo Pater principium potens proximè, & expeditè existit. Neque multum negotij, facerent argumenta petita ex impossibilitate præcisionis non repugnantia, seu possibilitatis ab actuali existentia in diuinis: siquidem id non repugnare satis offendimus d. q. 1. cert. 2. Solum ergo impugnatur hæc sententia ex specificatiuo adequato diuinæ cognitionis. Si enim essentia sola formaliter, & præcisè sit adequatum specificatum illius, nec Pater, nec Personæ procedentes, nec attributa, secundum statum vltimum quarto modo per se requirentur, vt obiecta cognitionis qua Verbum procedit. Si autem specificatum adequatum sit essentia secundum rem sumpta, omnia quæ ipsi realiter identificantur eo modo, quo identificantur cum essentia, per se quarto modo procedent: cum autem Filius, & Spiritus S. vt existentes re ipsa identificentur cum essentia, imò verò illius existentia existant: Filius, & Spiritus S. vt existentes, requirunt per se 4. modo ad cognitionem, qua Verbum procedit.

5. Eodem modo impugnandi veniunt Egidius de Præsentia, 5. de beatitud. q. 14. art. 4. §. 5. n. 40. Galp. Hurrad. tract. de Trinit. d. 7. diff. 4. qui aiunt, Verbum per se quarto modo cognitione essentia communium, & Patris solum procedere, non autem cognitione sui, neque Spiritus S. Nec dissimiliter confutandus est Scotus in 1. d. 10. fin. & d. 32. fin. & in 2. d. 1. q. 1. quem Scotista omnes sequuntur, recenter Philippus Faber citata d. 32. Afferunt enim Personas procedere ex cognitione, & amore essentia, communium tantum. Si enim distingui obiecta intrinseca ad terminationem diuinæ cognitionis, & amoris possunt (vt, in opinione Scoti de eorum distinctione ex natura rei, distingui manifestè possunt) sola terminatione ad essentia omnimodà infinitatem cognitio, & amor sufficienter trahent: quare nihil ex aliis formalitatibus in genere cognitionis, & amoris perfectionis intrinseca habebit. Vnde ex parte cognitionis, & amoris perfectio tota ad Personas producendas ante formalitates alias absolutas intelligitur, sicut & ante personalitates.

CERTAMEN III.

Essentia sola obiectum per se quarto modo cognitionis, qua Verbum procedit, asseritur, & vindicatur.

1. VT conclusionem præfatam (quam à nemine iraditam testatur Ruiz, aliique Recentiores) suadeam, suppono: adequatum specificatum diuinæ scientia esse essentiam præcisam ab aliis attributis, & personalitatibus, vt latè probaui controu. 1. de Deo vno, quæ est de scientia Dei d. 3. quæst. 1. cert. 2. docentque communiter Thomista, & Scotista, atque ex nostris Vazq. Granad. & alij præter notatos certamine 1. Neque me iudice aliud sibi voluit Scotus si attente legatur loco ibid.

Q. allegato.

allegato. Cum enim æquè distinguat attributa, & personalitates ab essentia: atque personalitates obiectum secundarium vocet: nequit de attributis sine in consequentia iniuria alter sentire. Quin imo quoties de obiecto primario, seu specificatio diuinæ scientiæ loquitur, sola diuina essentia contineri docet. Sic eum sequuntur porius, quam interpretantur suæ familiæ Doctores à nobis dati d. & q. p̄ta de essentia Dei. Et quidem Rada, & ipse insignis Scotista, è solâ essentia cognitione Verbum in Scoti sententia procedere acriter defendit ex locis Scoti citatis. Hinc probatur conclusio. Eorum obiectorum præcisè cognitione procedit per se quarto modo hoc Verbum, quæ tale, quibus sublati, per possibile, vel impossibile, ex parte obiecti Verbum hoc, quæ tale, & secundum totam perfectionem intrinsecam in ratione Verbi non maneret: sed sublata solummodo essentia diuina ex parte obiecti præcisè non maneret Verbum hoc, quæ tale, & secundum totam perfectionem intrinsecam in ratione Verbi; maneret autem manente essentia præcisè, aliisque omnibus diuinis per impossibile sublati: ergo solius essentia præcisè, non autem reliquorum diuinorum cognitione Verbum hoc, quæ tale, per se quarto modo procedit. Maior ipsissima est obiecti quarto modo per se requisiti definitio. Minor suadet quoad primam partem. Sublata essentia cognitionis, quæ cognitio formaliter est, Verbum necessariò aufertur secundum rationem Verbi: sed sublato obiecto adæquato specificatio, quod est essentia cognitionis, quæ cognitio formaliter est: ergo, & aufertur Verbum hoc in ratione huius Verbi.

2. Vtraque præmissa certa omnino est ex proximè dictis, & consequentia legitima. Pergo ad secundam minoris partem probandam. Manente per possibile, vel impossibile, essentia diuina, sine reliquis diuinis, siue attributis, siue personalitatibus, maneret adæquatum specificatum cognitionis diuinæ: ergo maneret tota perfectio intrinseca cognitionis diuinæ, quæ talis, siue in genere cognitionis diuinæ: ergo maneret tota cognitio, quæ Verbum hoc, quæ tale, procedit. Antecedens, & prima consequentia certa sunt ex notatis n. r. Secunda consequentia æquè ex eodem principio fluit. Quia Verbum hoc, quæ tale, essentialiter solum procedit per intrinsecum, & essentialiter totum cognitionis diuinæ: Ergo remanente toto intrinseco cognitionis diuinæ secundum totam perfectionem in suo genere, remanet quidquid in ratione cognitionis diuinæ essentialiter requiritur ad Verbi processionem. Probat per se, & explicatur eadem pars minoris. Manente tota infinita representatione formali cognitionis diuinæ nequit deficere aliquid representationis obiectiuæ in Verbo hoc per illam procedente: sed sublati per impossibile reliquis diuinis, & manente solummodo essentia maneret tota infinita representatio formalis cognitionis diuinæ: ergo remanet tota infinita representatio obiectiuæ Verbi. Minor certa est ex dictis. Manente enim specificatio adæquate obiecto cognitionis, seu representationis intentionalis implicat non manere totam representationem intentionalem formalem cognitionis illius. Consequentia est perspicua. Ex ea verò sic rursus infero: Ergo manet integrum Verbum hoc, quæ tale, & in ratione Verbi. Patet consequentia: quia Verbi ratio quatenus obiecta respicit, tota est in representatione obiectiuæ eorum, quæ semper æquat sua perfectione perfectionem representationis formalis, quæ est in cognitione, quæ producitur, licet respectu alio, quem habet Verbum, quatenus terminus productus à loquente est, ad illum, tanquam ad pingentem actiue referatur.

3. Obiicies. Sublati personalitatibus non maneret eadem essentia formaliter, quæ modo est obiectum primarium cognitionis, quæ Verbum procedit: ergo neque Verbum hoc. Antecedens probatur. Non maneret fecunditas intrinseca, & terminabilitas triplici subsistentia, quam in suo formali conceptu includit essentia, quæ nunc est. Vigent Recentiores. Strictior est connectio essentia cum personalitatibus, & attributis, quam omnipotentia, realiter adhuc connecta cum creaturis: sed

sublata quavis creatura possibili non maneret omnipotentia vera, quæ nunc est, sed alia ficta: ergo sublati etiam personalitatibus, & attributis non maneret essentia vera, quæ nunc est. Maior videtur certa. Strictius enim vinculum est identitatis realis extremorum, quam connexionis realis vnus cum alio. Negatur primū antecedes. Ad cuius probationem respondetur: fecunditatem naturæ respectum personalitatum non esse quandoquidem cum ipsis natura identificatur, nihilque ad se ipsum respectum realem habere potest: vnde, sicut deficientibus per impossibile personalitatibus manerent formalitates absolutæ essentia, ita, & fecunditas absoluta. Ad confirmationem respondetur maiorem esse de subiecto non supponente. Nam identitas, nec vinculum, nec connectio est, sed identitas: quare neque potest strictius vinculum esse, si propriè loquamur: cum vinculum, & connectio necessariò, & essentialiter inter extrema diuersa veretur. Sed si impropiè, & laxè vinculum, & connectio accipiantur, concedo maiorem: & admissa minori nego consequentiam. Est enim huiusmodi. Relatiuum verè tale nequit cognosci sine termino formaliter: ergo absolutū nequit formaliter cognosci sine termino. Sublati ergo personalitatis, & attributis ratione identitatis cum ipsis periret realiter, non autem formaliter essentia.

4. Obiicies secundò. Verbum procedit cognitione intuitiua diuina: ergo præsupponit per se quarto modo obiectū ipsius: sed obiectum intuitiuis diuinæ est Deus, vt in re est, essentia scilicet cum attributis, & personalitatibus: ergo supponit essentiam cum illis. Respondetur ex dictis d. i. q. 5. cert. r. negando subsumptum ad secundam consequentiam. Potest enim intuitio circa vnū rei eiusdem formalitatem versari, quin circa alterū versetur. Recognosce ibi dicta. Instas: Verbum quarto modo per se procedit ex cognitione intuitiua diuinæ: sed cognitio diuina intuitiua est omnium attributorum, & personalitatum: ergo eorum omnium cognitione per se quarto modo procedit Verbum. Distinguo maiorem: cognitione intuitiua diuina omnium obiectorum, quæ Deus intuetur, nego maiorem primarij obiecti, & adæquati specificatiui concedo maiorem: & concessa minori iuxta eandem distinctionem nego consequentiam: quia alia obiecta ab essentia, neque primaria, neque specificatiua obiecta sunt cognitionis diuinæ intuitiua. Atque vt dixi non semel, si ex essentia, vt in re est, cognitione Verbi procedat è sui, & Spiritus sancti cognitione debet procedere: vt existentium: vnde fiet contra S. Thomam recitatū cert. r. sine, Patre in Filij generatione à Verbo, & Spiritu, vt existentibus pendere, sicque eas sui processionibus præcedere.

5. Oppones rursus. Verbum essentialiter procedit, saltem per cognitionem comprehensiuam essentia: sed de ratione comprehensionis essentia est esse cognitionem eorum omnium, quæ aliquid essentia sunt, cuiusmodi sunt attributa, & personalitates ipsi identificata: ergo de ratione cognitionis, quæ essentialiter Verbum procedit, esse cognitionem personalitatum: ergo attributa, & personalitates sunt obiecta per se quarto modo cognitionis, quæ essentialiter Verbum procedit. Vtraque consequentia videtur perspicua. Respondetur facillè distinguendo maiorem: procedit per cognitionem comprehensiuam essentia, quoad intrinsecam comprehensionis perfectionem, siue, quoad perfectionem comprehensionis intensionem fateor, quoad extrinsecam, & quæ extensionem comprehensionis perfectionem in actu exercito, nego maiorem, & similiter distinguo minorem: quoad extrinsecam, & quæ extensionem comprehensionis perfectionem, concedo minorem: quoad intrinsecam, & intensionem comprehensionis perfectionem, nego minorem, & nego absolute vtraque consequentiam. Cū enim attributa, & personalitates specificatiua adhuc partialia, obiectiue partialia primarij non sint, sed id solummodo habeat essentia respectu cognitionis diuinæ, nullatenus ad eius, etiam quæ comprehensiuam est, intrinsecam, & intensionem perfectionem requiruntur.

6. Obiicies 4. Verbum est Verbum omnium, quæ sunt in Deo: sed nequit esse Verbum incognitorum, seu nec præcognitorum: ne eo loquens Pater ad modum p̄ytaci loquatur: ergo supponit

supponit præcognita omnia, quæ sunt in Deo. Multum probat obiectio: cum creatura, etiam futura, Verbo à Patre dicatur. Respondetur pro omnibus Patrem quædam loqui primariò, quædam secundariò Verbo suo; quod aliquorum Verbum primariò, aliorum secundariò est: Sicut de diuina omniscientia philosophabatur controuersita de scientia Dei. Primariò Pater Verbo suo solummodo dicit essentiam, quæ est obiectum specificatum ad æquatum cognitionis diuinæ, quæ per se quarto modo Verbum procedit, reliqua autem dicit secundariò. Ab his autem, quæ secundariò dicit non magis per se Verbum pender, quam cognitio diuina, quæ ea secundariò representat, quæque Verbum procedit. Solum ergo, & Verbum, & cognitio diuina, quod denominationem ab obiectis pendet secundariò, ut illorum sint, & cognitio, & verbum. Addiderim præcognitionem obiecti secundariò requiri in Patre ad loquentis actiue perfectionem, non autem ad perfectionem representationis obiecti, eorum etiam, quæ secundariò Verbum representat. Nam, si per impossibile in cognitione, quæ Verbum procedit, Patri non representarentur, & tamen cum intrinseca perfectione representationis formalis cognitio maneret, Verbum ea obiecta eodem profus modo representaret obiectiue, ac si præcognita à Patre formaliter forent.

7 Hinc constat solutio ad plura Patrum testimonia recitata à Ruiz. d. 61. sect. 2. a. n. 5. quibus dicitur Verbum esse: *omniū, que sunt in Patre, & Deo, Verbum: talique enadere, ne imperfectū euadatis: ac pro quous obiecta uerba multiplicare oportet, ut loquitur Athanas. epist. Nicænæ Synod. ad med. vrgentius videtur locutus August. 15. de Trinit. c. 14. sub init. pro Patris personalitate his verbis: Tanqua se ipsum dicens Pater genuit Verbum, sibi æquale per omnia: ergo generatio Verbi formalissimè est dictio, quæ se dicit Pater ex August. ergo ad illam prænotat se Pater: ergo suam prænotat paternitatē, seu personalitatem, sine qua Pater nō est. Respondetur distinguendo consequentiā primam: quæ se dicit Pater primariò, nego consequentiā; quæ se dicit secundariò concedo consequentiā, & nego eodem sensu consequentiā secundā. Solum ergo contendit August. Verbum in ratione Verbi æquare sua obiectiua representatione formalitates omnes obiectiua id autē satis est, si ex quoque obiecto, & formalitate omnimodā representatione obiectiua realiter, & formaliter trahat. Audite quæ immediatè subiungit August: *Non enim se ipsum integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quam in ipso.**

8 Argues rursus pro Patris personalitate ex Vazq. Illud est obiectū primariū intellectiōnis, quæ Verbum procedit, quod potest esse obiectū primariū productionis Verbi: sed essentia sola sine Patris personalitate nequit esse obiectū primariū productionis Verbi: ergo neque intellectiōnis quæ Verbum procedit. Probat minor: quia determinans intellectū Patris per modum obiecti, & principij secundantis illū ad Verbi productionē distinguere debet à Verbo producto: sed essentia sola sine Patris personalitate nō distinguitur à Verbo producto: ergo essentia sola sine patris personalitate nō est obiectū secundantis intellectum Patris, & primariū. Respondetur negando primam minorem. Ad eius probationē nego maiore. Nam obiectū diuinæ cognitionis, ne formaliter quidem, ab ipsa distinguere debet: latè probaui cōtra nostrū Herice controu. de scientia Dei d. 2. q. 1. quare in genere obiecti, sicut nulla est præcedentia obiecti ad scientiam diuinam, ita, neque eius ab illa, aut Verbo distinctio requiritur. Solum ergo requiritur distinctio Patris à Verbo, quatenus productiōnis illius est: unde, licet obiectum foret, ea præcisè ratione à cognitione, & à Verbo distinguere non deberet, ut Patres docent, qui Patrem à Verbo ratione adiuuati, & processions tantū distinguere asserunt: Ex patre, cū Verbum sui ipsius obiectiua representatio & Verbum sit. Instat Vazq. & Hurtado. Verbum procedit primariò, ut Filius, & imago Patris: ergo, ut representans primariò Patre: ergo ex cognitione Patris. Respondetur distinguendo antecedens: procedit primariò, ut imago in-

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Uno & Trino.

tentionalis patris, nego, ut imago realis, concedo antecedens iuxta dicta de eius Filiatione præ Spiritu S. d. 3. q. 2. cert. 6. Ad rationē autē imaginis realis representati præcognitio non requiritur: ut in Filiis omnibus pater: atque citato loco contra Vazq. euicimus.

9 Denique pro Filij personalitate arguit Vazq. Productio Verbi essentialiter est intellectio: ergo produci Verbum essentialiter est intelligi Verbum: ergo nequit produci, quā intelligatur. Egregius paralogismus. Distinguo antecedens: essentialiter est intellectio sui obiecti primarij concedo antecedens; termini, quem producit, nego antecedens: Et nego inde consequentiā primam, & secundam. Solum enim inferitur produci Verbum esse intelligi obiectū primariū illius, non terminū. Cōstat manifestè in Verbo creato: in quo, quia intellectiōne Petri, v. g. producit essentialiter Verbum Petri, ac proinde eius productio essentialiter est intellectio Petri, non valet intellectiōne ipsius verbi, verbum Petri produci: neque ipsum Verbum produci esse ipsum Verbum intelligi.

QVÆSTIO II.

An Verbum procedat per se quarto modo ex cognitione creaturarum?

CREATURAS impossibiles, & futuras, siue existentes ad rem hanc Doctores diuidunt. De quibus omnibus ex ratione à prioris quæ præcedentis quæstionis conclusionē probauimus claret negatiue resoluendum esse. Sed quia pro creaturis, tam possibilibus, quam existentibus, & futuris alie suppetunt rationes, quæ pro aliis grauibis Theologiæ controuersis non contemnendam parant supellectilem, de eis seorsim disputamus.

CERTAMEN I.

Non procedit per se quarto modo Verbum è possibilium cognitione.

1 **O**ppositam nostræ conclusioni sententiam tenet Gabr. in 1. d. 27. q. 3. art. 3. dub. 1. Caietanus 1. p. q. 34. art. 3. vbi Bannez, Zumel, Molin. Valent. q. 7. d. 2. dub. 2. Suar. lib. 9. c. 6. Ruiz. d. 73. se. 1. Granad. tract. 9. d. 9. Zunñiga d. 3. dub. 6. Albiz d. 3. sect. 8. & Complutenses Recentiores. Nostram verò conclusionem docent Scotus quodlibet. 14. & in 2. q. 1. Faber cum omnibus Scotistis d. 2. Vazq. d. 143. c. 3. Arrubal. d. 13. Luis de Torres d. 18. dub. 3. Albertin. corollar. 14. ad prædicatum ad aliquid, dub. n. 8. Alarcon de Trinit. d. 8. c. 9. n. 13. communitèrque in nostra Provincia Recentiores, & quod mihi caput est illud Scholarū miraculum Magister meus Pater Didacus Daza. Multa in casum pro hac conclusionē ex Patribus afferuntur, scilicet, & pro opposita, cum tamen Patris nihil de ea, siue in terminis siue in virtute definierint. Est autem probata scholasticè à priori quæstione præcedenti. Sed admisso etiam, quod specificatiuum ad æquatum essentia sola non contineatur respectu cognitionis diuinæ, sed reliqua etiam diuina, quæ eadem res sunt cum essentia, ad illud aduocanda sint: nimirum personalitates, & attributa omnia præcipuè omnipotentia, in qua est rei præsentis difficultas; probanda erit conclusio hoc pacto.

2 **O**mnipotentia diuina absoluta est à creaturis: ergo, licet Verbum procedat quarto modo per se cognitione omnipotentia, non procedet per se quarto modo cognitione possibilium creaturarum. Consequentiam negat nemo. Antecedens probō. Maior est necessitas Dei, quam creaturarum possibilium: ergo nihil connectitur cum creaturis possibilibus. Consequentia est legitima. Nam connexum essentialiter cum termino sublato termino perit: ergo nequit esse maioris constantiæ, & necessitatis, quam terminus. Antecedens probatur. Alioqui sublata simix cauda è possibilibus

Q. 2. DEUS